



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

34. Christus Barabbæ postponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

am, Judæos, & Gentiles. Nota etiam, quomodo valet ad conciliandos animos deferre alteri: nam eò quòd remisit quasi subditum ad Herodem, conciliati sunt: sed & in illis verificatur: *Astiterunt Reges terra & Principes, con- venerunt in unum adversus Dominum; & ad- versus Christum ejus; sed Qui habitat in caelis, irridebit eos.*

Ps. 2. 2.

MEDITATIO XXXIV.

Christus Barrabæ postponitur.

PUNCTUM PRIMUM.

CUm propter solennitatem Paschatis soleret populo donari unus ex vincētis ob aliquod maleficium, excogitavit Pilatus hac ratione se posse liberare Christum quem innocentem judicabat: quod ut certius obtineret, elegit perditissimum latronem, homicidij, & seditionis reum, quem cum Christo proponeret; fore evidens ut potius Christum, quam tam sceleratum hominem populus liberari peteret. Sed imprimis hæc ipsa comparatio Christi & latronis, ad insignem Christi ignominiam cedebat. Deinde, cum populus proclivis esset ad id quod erat rationabilius, princeps Sacerdotum & seniores persuaserunt populis, ut peterent *Barrabam*: *Jesum verò perderent*, videlicet calumniosè contendendo, quod peior, & perniciosior esset ipso latrone: Quod intuens Christus dole-

Compo-
nitur cū
Barrabæ.

Barrabæ
postpo-
nitur à
Sacerdo-
tibus.

dolebat sic decipi populum simplicem. Tandem detestabilissimum est, quod cum latro tot haberet patronos, Christus neminem. Qui proinde dicere Patri æterno potuit. *Tibi derelictus Ps. 9.14. est pauper, orphano tu eris adiutor.*

PUNCTUM II.

A Cclamatio populi pro latrone: *Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam.* Si proponi simul maximus fuit contemptus, quantus erit, fuisse ei prælatum facinorosum? Vere Jesu bone, dixeris: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Populus perit Barrabã. Ps. 21.

En qualia sunt hominum judicia: & quis velit ab eis pendere, sive laudent, sive vituperent? bene est, quod ab eis non pendet bonum nostrum, & salus: quare spernam illa, in utramvis partem sint, illud unum curans, qualis sim apud Deum. Judicij perversitas.

Huic perverso iudicio simile est, quod peccator facit, cum præfert creaturam Deo in quovis lethali peccato: nam in tentatione ei proponitur, utrum malit: ac ratio quidem suggerit pro Deo; sed mali instigatores, Diabolus & caro evincunt, ut præeligat brevem gustum infinito bono, cum ipse est alioqui infinitis obstructus debitis. Peccator Deo præfert Barrabam.

PUNCTUM III.

Pilati responsio: *Quid igitur faciam de Jesu?* Pilatus pusillanimis.
Obstupuit Pilatus, quod optassent latronem, posthabito homine innocente. Malè autem in-
G s terro-

terrogat ipsos; sed debuit pro officio Christum innocentem absolvere, quod non est ausus homo pusillanimis: Quid autem Judæi respondent? *dicunt omnes: crucifige, crucifige.* Ræbie acti ingeminant, & poscunt mortis genus crudelissimum. Peccata idem clamant, ipsa te crucifigunt: sed bene est, quod ipsamet crucifigantur tecum, sicut dicit Apostolus tuus, *quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat* Heb. 6. 6. *tur corpus peccati.* O destruat in me, ne ultra serviam peccato, rursus crucifigens mihi met ipsum Filium Dei!

Peccata
clamant
crucifige
Rom. 6.
6.

Heb. 6. 6.

MEDITATIO XXXV.

Christus flagellatur.

PUNCTUM PRIMUM.

Flagel-
latio
Christi.
Luc. 3.
16. 22.

Platus addixit Christum flagellationi, quamvis innocentem agnosceret: ut sic satisfaceret furori Judæorum, eumque à morte liberaret: nam ait: *Nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, & emendatum dimittam.* Quod si id non succederet, flagellatio illa esset pro ea, quæ ex more Romanorum infligebatur crucifigendis: quamvis sunt, qui colligant, secundò fuisse flagellatum, cum damnatus jam esse mortis.

Iniqua hæc fuit sententia, cum sciret esse innocentem; ignominiosa, quòd supplicium servorum; crudelis, eò magis, quòd credibile est
Pila-